ORATIO
DE HVMANAE
INDVSTRIAE
PRAESTANTIA.

****
**

AD CLARISSIMOS VIROS M. ANTONIVM VENERIVM Doctorem præstantissimum; MARCVM MOLINVM: ANTONIVM PRIOLVM; ET ANTONIVM MOCENICVM, Patricios Venetos, Diui Marci Procuratores meritissimos.

F. Desyderius Lignamineus Patauinus.

* *

Si quantum valeat (quæras) industria mentis
Humanæ, paucis edocet his Medices.
Præterea, quantum prosit pia dogmata Diuum
Tractare: ornato disserit eloquio.
Felix viue diu, cuncti sic Sixte precamur,
Et nobis tradas his potiora tuis.

Clarissimis viris.

M. ANTONIO VENERIO Doctori præstantissimo, MARCO MOLINO, ANTONIO PRIOLO, ET ANTONIO MOCENICO, Patricijs Venetis, Diui Marci Procuratoribus meritissimis.

F. Sixtus Medices Theologus Dominicanus.

S. P. D.



EMPER & vbique Diuina sic disponente prouidentia factum comperimus, vt per viros eosdem Sacerdotij munus exerceri, & sapientiæ arcana reserari consueuerint. Humanum quippe genus Dei proles, ab hominibus Deo dicatis, cum morum tum literarum cognitione facilius imbui posse perspicuum est. Tales profectò apud Persas Magi, apud Indos Brachmanes, Aegyptijs Mathematici ac Methaphysici, Aethiopibus Gymnosophistæ, Gallis Druydes Sacerdotes simul, & Doctores fuerunt. Eiusmodi etiam inter Græcos, Linus, Orpheus, Musæus,

Eumolpus, Melampus, Trophimus, Aglaophemus, Pythagoras, & alij: Nec dissimiles inter Romanos, Numa Pompilius, Valerius Soranus, Iulius Cæsar, ceterique pontifices floruerunt; quibus non minus curæ fuit sacrorum, quam sapientiæ studium. Hebræis quidem Prophetæ, atque Essei, sacerdotio & sapientiæ simul operam dabant. Ait enim Malachias propheta. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius. Porrò Ecclesiæ nostræ Antistites quales primum in scientia effulserint, si quis nesciat, contempletur Basilios, Origenes, Athanasios, Chrysostomos, Cyprianos, Ambrosios, Hieronymos, Augustinos, Gregorios, Hilarios, atque vniuersum cataphractorum cuneum, qui armis scientiæ cum Diuinæ, tum humanæ, vnà cum sacerdotij dignitate, cuncta Hæresum monstra validissime prostrauerunt. Posterioribus verò sæculis Magnus Albertus, & Thomas Aquinas ex nostris prodierunt, scientiarum, & Religionis columina, qui non solum vniuersa Theologiæ arcana explicuerunt, sed & cuncta Aristotelis volumina clarissimis commentarijs illustrata Gymnasijs primum donauerunt. Hos sequuntur Herueus, Durandus, Petrus de Palude, Ioannes Capreolus, alijque innumeri. Proximis nempè temporibus dum

Ioachinus

Ioachinus Turrianus Venetus,non minus linguarum ac ſcientiarum cognitione, quàm morum probitate clariſsimus, totius Dominicanæ ſodalitatis Magiſtrum Generalem ageret; In Patauino Gymnaſio Methaphyſicam profeſsi ſunt Franciſcus de Neritono, Valentinus de Peruſio, ac Thomas Caietanus poſtea Cardinalis, clariſsimo vir ingenio, quem nullum ſcientiarum genus credimus non exacte calluiſſe. Hunc ſequitur Hieronymus Monopolitanus Archiepiſcopus Tarentinus, & Albertus Vtinēſis Epiſcopus Clodienſis. Hanc eandem facultatem ex collegio noſtro Diuorum Io. & Pauli multa cum laude auſpicati ſunt Vincentius Merlinus & Ioannes Franciſcus Beatus, qui poſtmodum Piſis profitens,diem vltimum obijt.Sacræ vero Theologiæ interpretes Patauij fuerunt ex hoc eodem Cœnobio exorti, is quem ſupra nominaui Hieronymus de Monopoli: Deinde poſt Gaſparē Peruſinum,Thomas Omnibonus vir eximius, quemadmodū Poſt Bartholomæum Piſanum Ego, qui per octo annos nullis laboribus parcēs,cōtuli quæ pro viribus potui. Me tamen in Patriam per uos euocatum ſubſecutus eſt in eodē lectionis munere Hieronymus Vielmius Venetus diſcipulus meus, qui eo pollet ingenio, ea bonarum artium cognitione, atque eloquentia,

vt

vt sonitum doctrinæ eius orbis vniuersus sit aliquando cum admiratione auditurus. Hi omnes igitur ex domo hac vestra, & sacrorum & scientiarum magistri fuerunt. Quibus vt alij sufficiantur pro patribus filij, Gymnasium in ædibus nostris dudum instaurare conamur, cuius fructus vberes, tota Ciuitas statim (vt spero) iucundissime degustabit. Non iniuria itaque (vt ad rem nostram aliquando veniamus) factum est, vt vos humanitate vestra me in filiorum, & ciuium vestrorum præceptorem asciueritis. Et ego iam senex votis vestris consentiẽs, Patauio dimisso Venetias me cõtulerim: Immò vtriq; (vt arbitror) sapientum consilia sumus prosecuti. Siquidem cum apud Platonem ætates duæ ad religionem sint propensiores, pueritia nimirum & senectus, Ideo filijs vestris, qui vitæ innocentia puri sunt, satis prouisum fuerit, si senem, sacris initiatum eis præceptorem exhibueritis. Eos enim musarum sacerdotes legitimos esse docet Orpheus, qui ætate prouectiori diuina pertractant. Nanque anima, illa ætate, quæ sunt à corporibus seiuncta, quasi è proximo conspiciens, perspicacius explorat & clarius speculatur, atque interpretatur sciẽtiarum mysteria. Ego itaque (ne spem uestram frustrarer) diligenter, quoad potui iam biennio

Rationalem ac Naturalem Philosophiam, nutu vestro sum interpretatus, & prouentus copia (vt cum gaudio videtis) haud exigua. Iam enim sæpenumero auditores nostri, disputationibus publicis, ingenij sui opes explicauerũt. Id autem Viri Optimi, atque celebratissimi, munus vestrum est, hoc vobis totum ferri debet acceptum, qui rei huius authores extitistis. Iccirco quemadmodum (vt inquit sapiens) flumina omnia exeunt à mari, & ad mare reuertũtur vt iterum fluant, ita & quæ à vobis dona fluxerunt, ad vos clara cum laude redire debent. Vos quippe Pelagus estis non modo diuitiarum, sed & virtutum omnium, à quibus, vt scientiarum ita religionis flumina gignuntur, & vegetantur; quo clarissimus nominis vestri splendor omnibus effulgeat. Quis enim Antonio Mocenico prudentior aut vigilantior? Antonio Priolo ingeniosior aut vbique terrarum celebrior? Marco Molino humanitate aut munificẽtia omnibus charior? Tu vero M. Antoni Veneri Doc. eximie, omniũ scientiarum splendore, rerúmq; agẽdarũ experientia longe maior es, quàm prolixa etiam oratione complecti quisquã valeat. Tibi præter ceteros acceptum fero quicquid dignitatis ex studiorum exercitatione Patauij sum consecutus, vt etiam vitam ipsám tibi debere me

sæpe

ſæpe non immerito prædicem. Verum ne illos qui hoc biennio ex Procuratorio hoc veſtro collegio mortis iniuria ſublati ſunt, ſilentio prætereamus, Nemo eſt qui noſſe nō debeat Alexandrum Contareuum, vt Ciuitati noſtræ valde venerandum, ita hoſtibus maxime formidabilem. Thomam verò Contarenum propè centum annos natum, rebus gerendis apud exteras præſertim nationes diligentiſsimum, Domi autem ſuis ciuibus ſemper iucundiſsimum. Laurentius denique Iuſtinianus queadmodum rerum experientia ſuperauit plurimos, ita ingenui animi muneribus nemini ſecundus fuit. Pelagus itaque virtutum atque bonorum omniū eſtis vos Viri Clariſsimi, à quibus quum riuulus ingenij mei emanauerit, æquum eſt, vt ad vos vltro redeat. Proinde Orationem hanc DE HVMANAE INDVSTRIAE PRAESTANTIA, quòd munere veſtro prodierit, ad vos etiam (vt par eſt) reuertentem, pro veſtra humanitate ſuſcipite. Atque adeò perpendentes quanta veneratione vos proſequar, viciſſim gratiarum in me veſtrarum iteratos fauores perpetuò effundite. Valete Patres Opt. atque Clariſsimi.

Ex Aedibus noſtris. D. Io. & Pauli. Pridie Kal. Aug. M. D. L V.

F. Sixti

F. SIXTI MEDICES
Veneti Dominicani, Artium & sacræ Theo. Doc.

DE HVMANAE INDVSTRIAE
Præstantia Oratio, Pridie quàm Rationalem, ac Naturalem Philosophiam Publicè Interpretaretur Venetijs habita Quartodecimo Kal. Nouemb.
M. D. LIII.



PICVREI Philosophi, quorum scientia non vulgaris apud antiquos fuit existimationis, ex Democriti institutis originē ducentes, Deum opt. Max. Humana effigie repræsentare cōsueuerunt; hac nimirum (vt arbitror) ratione, quòd nihil ferè non Diuinum in homine dum conspicerent, ipso, nihil Deo vicinius, nihilque ad supremam illius mentis imaginem propius accedens poterant excogitare. Nec temerè quidem. Quum enim vniuersa

increatæ ſapientiæ opera, ſummi opificis veſtigium atque conſilium non obſcurè referant: id tamen longè præſtantius efficit mira humani generis pulchritudo, ſingularis forma, inſigniſque nobilitas, ea præſertim parte qua præ cæteris animantibus mente viget, illáque eximia ratiocinandi facultate exornatur. Hæc quippe, quum in ultimo æternitatis orizonte (vt ſacris Theologorum vtar verbis) ſita maneat: vniuerſi perfectiones facile complectitur, & ſupremi ordinis ſubſtantias, non ſolum naturæ participatione; verum & excellentiori quodam modo atque ratione attingit. Nempè dum rationis Induſtriâ, vel ad authoris ſui ſimilitudinem, ipſum intelligendo tam propè accedit, vt cum ipſo vnum effici videatur.

Ceterum, quum ſupremi numinis infinita virtus maximè ob id conſpiciatur, quòd nunquàm non agat, vt in Euangelio legimus, Pater meus vſque modo operatur, & ego operor; In hoc etiã humana ratio eidẽ ſimillima nõ difficile cognoſcitur quòd ocio lãguere neſciat: ſed induſtria quadam cõtinuæ operationi inſudet. Quocirca operæ prætium me facturum exiſtimo, celeberrime atque eruditiſsime conſeſſus, ſi maximum hoc, quod in humanæ rationis Induſtria numen latere optima opinantur ingenia, Orationis meæ Argumentum

fuerit:

fuerit: ac de ipsa HVMANAE INDVSTRIAE PRAESTANTIA in primis aliquid breuiter, & crassiore quadam minerua perstrinxerim. Adeste igitur, atque æquissimis animis audite.



INDVSTRIA itaque quamuis ingenij facultatem quandã siue artem exprimat, qua ad aliquid agẽdũ, seu perscrutandũ idonei reddimur: nõnunquam tamen pro ipsa artis atque ingenij exercitatione accipi solet: vt sæpenumero operãdi facultatẽ, ipsius virtutis operatione nominemus. Nos verò maiori ambitu vtrunque cõplexi, eousque Industriæ nomen extendemus, vt Industria, mentis aciem, vigilantiam, sagacitatem, solertiámq; significet; Sitque mentis quædã exercitatio, qua nos ab ocio, ignauia, & quodam quasi membrorum pondere, vel in ipso ocio vindicemus. Quemadmodum apud Arpinatem referebat Cato, Publium Scipionem dicere solitum, se nunquàm minus ociosum esse quam quum ociosus, nec minus solum quàm quum solus esset. Insita enim est à natura humanæ mẽti cupiditas quædam noua semper meditandi, vtque ea quæ nusquam viderit vel nouerit perscrutetur, & tandem

pro virili reperiat. Hinc tot artes ad vitæ nostræ commodum ortas esse videmus, atque ab humani ingenij sagacitate veluti ex fœcundissimo seminario copiosius emanasse. Apollo siquidem Medicinam primus excogitauit. Ideo ait apud memorandum vatem.

Inuentũ Medicina meũ est, opiferque per orbem
Dicor; & Herbarum subiecta potentia nobis.

Modum equitandi Bellerophon tradidit. Bellandi normã hominibus præfixit Mars; in eiúsque rei gratiam militiæ sibi numen vendicauit. Nauigandi artem primus coluit Neptunus: cui hanc ob causam Maris imperium condonauit antiquitas. Agrorum colẽdorum peritiam Caimus primi parentis Adæ filius nouos homines (vt Iosephus testatur) docuit: Aegyptios verò Osyris. Cuius meminit illis versiculis ingeniosus Poeta.

Primus Aratra manu solerti fecit Osyris,
Et teneram ferro sollicitauit Humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomáque non notis legit ab Arboribus.

Quæ quidem quum humani animi Industriam mirum in modum præseferant suapte natura: in maiorem tamen admirationem nos vel inuitos trahent, si quis animo peruoluat sublime hominis iudicium in excogitandis instrumentis atque obser-

uationibus,

uationibus,quibus artes auctæ,ad proprium finem aptius atque commodius consequendum singulæ deducuntur.

Porrò in Agris excolendis, quis citra stuporem consideret tot frugum genera, varias serendi ac metendi rationes, stercorandi modum, putandi artem; In granis excutiendis molendisue artificium? Quis eum summopere non laudet qui primus Boues Aratro iūxerit? Plaustra, Ligones, Vomeres, Sarcula, Pastinum, Ventilabra, Marras, Furcillas, Quallos, Ronchones, tot Falces & Fiscellas, Tot Cribrorum formulas nobis subministrarit? Quibus addantur,

Tribulaque Traheæque & iniquo pōdere Rastri.

In nauigandi verò arte cui non admirationem moueāt ad tot diuersos vsus comparata Nauigia, quibus vel integræ arborum syluæ miro quodam artificio consui soleant? Nimirum gubernaculo, Anchora, Malo, Rudentibus, Antennis, Remis, Velisque instructa; Bolide pariter, Pixide seruante linitum Magnete ferrum; Circinatáque tabella Insulas fere omnes, scopulos, ventorum regiones, mare denique ipsum ac terras, breuissimis admodum lineis clarè indicante? Cuius perito secretóque intuitu, ratem, tuto itinere, obscurissima etiam nocte, quocunque voluerint Nautæ dirigunt, non

minus

minus quàm si apertissima luce vniuersæ viæ maris ante oculos versarentur.

Circa verò equitandi rationem, non parua sagacitas fuit, teneras equorum vngulas ferreis soleis munire, ipsosqúe sella & stapedis nobis accommodare, ephippia phaleris ornare, capistro cohibere, habenis frænóque in gyrum agere, calcaribus vrgere; atque ferocissimam belluam humano imperio penitus obtemperantem reddere.

Sed quis in militari disciplina non eos laudet qui Thoracem, Loricam, Torques, Galeam, Cristas, Ocreas, Clypeum, Gladium, Clauam, Securim, Pugionem, Hastam, Iaculum, Dolones, Arcum, Sagittas, Fundam, Catapultas, Arietes, Ballistas, Atque ignea non vnius generis Tormenta, Tentoria, Feriendi artem, Tesseras, Tubas, Cornua, Classicum, eáque omnia quibus in expugnandis hostibus, in euertendis vrbibus, vti & antiqua, & ætas nostra cotidie soleat, inuenerunt?

Tacebó ne quo pacto primo orbis exordio, ex frondibus mortales homines tecta sibi conformarint? Speluncas sub montibus ferarum more alij, Domicilia sibi esse voluerunt. Nonnulli hirundinum exemplo, ex luto ac virgultis loca quædam fingere cœperunt; aut etiam Magalia Afrorum in medijs cāpis, aut domos plaustris impositas Scytharum

tharum exemplo habitarunt. Postmodum verò qui secuti sunt non contenti fuerunt, Ligna, Lateres, Saxa, Cementa, Calcem, Gypsúmque componere; eisque Malleo, Trulla, Norma, Libella, Perpendiculo, Penicillo tectorio, Domos atque vrbes perficere; Nisi Marmora, Paria, Carariensia, Ophytica, Lucullea, Porphyretica, Laconica, Numidica, Basaltea, ex altissimis montibus petita; Stylobatis, Spiris, Columnis, Epystilijs, Arcubus, Mutulis, Trabibus, Zophoris, Coronis deformatis; Opere Dorico, Corinthio, Ionico, ædificiorum adderentur ornatui: Diuersi generis, etiam uetustate exesis stemmatibus, & simulacris; Crustis, Picturis atque opere Tessellato superadditis, ad omnem elegantiam luxúmque vitæ captandum. Quin immò & ad æui longitudinem comparandam Atria, Peristylia Theatra, Thermæ, Aquæ ductus, Labyrinthi, Pyramides, Obelisci: Trochlea, Succula, Tympanis (vt machinas Ctesiphontis & Metagenis prætermittam) erigerentur.

Eousque tandem creuit humanæ huius Industriæ indagatrix cupiditas, vt Terra exornata, Maríque carinis æque ac terra hominibus facto peruio: ijsqúe omnibus sibi comparatis quæ humano vsui consulere viderentur, vitæqúe commodis, nōdum tamen satis fecisse arbitraretur, nisi & Ma-

ria

ria ipſa funditus vſq; perluſtraret; ac tanquã piſcis, Delius natator ad Margaritas & Corallia (ne dum oſtrea) conquirenda ima quæque perſcrutaretur.

Inceſsit poſtmodum ipſum Aera peruagandi deſiderium (Hoc ſiquidem vnum videbatur volucribus inuidere) Quare pennas capere, eáſque in alarum formam coaptare (Hoc enim de Dædalo referunt) Aethera ſcandere, ad Lunæ ac Planetarum orbes propius accedere cœpit. Atque hoc ne vobis mirum videatur, viri egregij, eam eſſe hominis induſtriam perpendite, ut non modo Aera, verum etiam altiſsimos vſque Cœlos penetrarit; Immò ad ipſius Dei optimi ſedes acceſſerit. Quis enim ad Cœlos vſque euolaſſe hominis ingenium non aſſerat; Cui iam omnia ferè naturæ ſecreta apertiſsimè pateant? Quis dum hominem ſiderum curſus varios, ac varios ipſorum influxus, Orbium circulos, Aequinoctialem, Zodiacum, Coluros, Meridianum, Borealem, Auſtralem; Sphæra atque Aſtrolabio; cœleſtis curſus velocitatem, illius ſimplicitatem, incorruptibilitatemqúe apprehendiſſe videat; non mox fateatur ipſum longè altius pennis ſublatum eſſe quàm quod de Dædalo referant Poetæ? Age verò cum ad motricis Intelligentiæ abditiſsimam cognitionem peruenit, & eius numerum venatur, infinitam Dei Maximi

virtutem,

virtutem, ſummíque τοῦ παντὸς (vt Græci dicunt) Principis vnitatem; quis hominem vel cœlitus demiſſum, vel certè vnà cum ſuperis cœlos aliquando coluiſſe non crediderit?

Qua propter haud mirum eſt ſi paſsim Geometram circa continuum verſari, terras dimetiri; circino, vmbra, ſpeculo, alijsque inſtrumentorum auxilijs, diſtãtias locorum, turrium & montium altitudines, vallium, fluminum, lacuum, latitudines dignoſcere videamus. Si radiorum reflexiones, lucidioréſque lineas diſpiciat perſpectiuus, orbis ſitum ob oculos ponat Geographus; quũ, & aſtra & Cœlum longe maiori quodam circulo, ſuperiorique arte humana vis ac ſolertia, menſura quadam complexa ſit.

Atque adeò vt nullum non moueret Lapidem, latens quoddam numen in Numeris Arithmeticæ ſtudio, vímque quandam occultiorem, ita eſt perſcrutata; vt ipſos Numeros tum Mercaturæ accommodarit (vt de Phœnicibus tradit Herodotus) tum harmoniæ (vt de Amphione, aut apud Hebræos Tubale in hiſtorijs legimus). Maximè enim conditioni humanæ conſultum videbatur, ſi triſtior aliquando animus his Numerorum modulis exhilararetur. Auxerunt porrò hanc iucundam muſices operã, Fiſtula, Monochordo, Fidibus, Pſal

terio,Barbito,Cythara,Laut,Lyra,Organo,Sambuca, alijsqúe instrumentorũ generibus Orpheus & Linus & alij penè innumerabiles.

Sed Inter hæc omnia,non minus sibi laudis pro mereri visa est hæc hominis Industria circa medicæ artis exercitationem: dum morbos pellere; atque animam penè agentes, propéque vita defunctos, ad amœnam hanc lucem reuocare conspicitur: Hócque vno cum Deo opt. Max. conuenire præsertim creditur;cuius infinita virtus hoc potissimum argumento colligitur, quòd & diruta instaurare supra naturæ vires valeat. Hanc ob caussam dicebat sapiens ille Salomon.Medicum creauit altißimus, & à Deo est omnis Medela. Et proinde maximè sanè mirificequé obseruanda.

PRæsident autem in hoc almo Disciplinarum collegio, (veluti in firmamẽto Cœli luminaria magna)Duæ Matronæ præcipuæ,vna Parẽs PHILOSOPHIA,Nutrix altera DIALECTICA.

Philosophiæ quidem Naturalis Industria (vt Moralem ac Diuinam Silentio in præsentia veneremur) vniuersa Mobilia concipit perlustranda, quorum sunt Principia,caussæ,& Elementa,ex horum cognitione,vt scripsit Aristoteles.

Dialecticæ verò sagacitate vsque adeò in acquirendo scientiarum thesauro intellectus acies dirigitur:

gitur: vt ad veritatem pateat, ad errorem omnis vtique claudatur via. Et quemadmodum Nutrix, lacte aut etiam solidiori cibo infanti oblato illius membra fouet, ac veluti vitæ ministra per totius corporis intima sese diffundens, vniuersas vires eius roborat atque custodit: Ita Dialecticæ alimonia in primis Philosophiæ infusa, omnes ipsius partes dirigit, ac vegetat, eiúsque membra probè disposita, perinde atque ossa ac neruos in animalis corpore (vt Zenoni placuit) valide confirmat. Subinde vitam quam Philosophia parturit ceteris, Dialectica ipsa rectissimè conseruat. Illud quippe confessum est vniuersis, quoniam sicuti Disciplinarum Organum Disciplinas omnes format, & colligit; atque vt rectè operandi munera subeant, vires illarum diligenter munit, excolit, atque exercet. Corpus quippe Organicum, diuersis membris artubúsque constat. Hæc verò ex articulis inuicem per iuncturas connexis, mira quadam artis vel naturæ Industria ita connectuntur, vt exercentis ingenium adiuuare, eíque congruè respondere sufficiat. Haud secus Dialecticum organum ad triplicem intellectus operationem sese distribuens, primum simpliciores particulas, voces videlicet ac terminos, Decémque Generalissima considerat; mox eorum composituram in enunciata &

propositiones colligit;deinde ad formam syllogisticam ordine congruo redigit,Elenchos reijciés, per Topica differere in quouis negocio docet.Tutissimam denique Demonstrandi arcem ingreditur,vt ex necessarijs perpetuóque constantibus,ipse scientiarum nexus roboris accessionem capiat, idémque legitimè atque integerimè constituatur. Hanc à Rhetorica aiebat Zeno Cittiæus differre, perinde atque manus in pugnum constricta, ab aperta in palmã : veluti arguens (vt arbitror)quòd qui Rhetorum suasione non mouetur,Rationibus Dialecticorum is etiam nolens coërceatur.

Porrò autem naturalis Philosophia,Disciplinarum ac scientiarum omnium fœcundissima Mater ; vt Arithmeticæ numero supputanda ; Musicæ, sonos vocésque modulatrices ; Geometræ terrarum spacia, Astrologo Cœlos ; omnibus deniq; rectè conspiciendi atque exercendi rationem, eximia quadam ingenij fœtura pareret;vniuersorum Entium mobilium, principia, materiam, formam, priuationem,profundissima mentis Industria constituit : quibus quatuor genera Causarum admouit : motúsque rationem coniunxit. Postmodum ab elementis ad mixta progrediens,modum explicat ortus atque interitus rerũ : Historias, Generationes, partes animalium ac stirpium: Et quæcunque

que ad sensum vitamque pertinent: vniuersa quoque animarum munera exactissime perlustrat.

Nec vero solum infimarum mundi partium naturam atque ordinem explorat, ac Meteorologicas impressiones multiplices: sed & superiorum corporum Diuturnitatem, amplitudinem, formam, motum, puritatem, vimque omnem concipit, parturit & effert in lucem, vt Philosophiam naturalem omnium scientiarum Genitricē ac parentem Iure optimo debeas appellare.

Quæ cum ita sint; quis non admiretur, summisque laudibus efferat humanæ mentis Industriam, Quæ tanta primæ Inscitiæ caligine, artium lumine nostrum expurgarit ingenium, operum diligentia ignauiam propulsauerit, mortalium vitæ commoda conferens eximia; scientiarum splendore mentis aciem excoluerit, & quantum pulchritudinis in rerum omnium ordine consistat, sagacitate sua indagarit, & indagando inuenerit, atque inuenta, apertam claramque in lucem, omnibus in medium ad communem vsum atque vtilitatem plenis, quod aiunt, manibus fuerit elargita? Atque ego plane dicere ausim, sine scientiarum cognitione, vniuersum terrarum orbem alioqui pulcherrimum, præcipua pulchritudinis parte mancum ac mutilum fore. Quemadmodum enim nihil volu-

ptatis

ptatis affert colorum elegantissima varietas in tenebris oblata; ita entium omnigena supellex, vbi scientiarum splendor non effulgeat. O igitur Diuinam Industriam, quæ thesauris amplissimis ac locupletissimis humanum animum copiosissime ditauit, scientiarum splendore vniuersi orbis pulchritudinem aperuit, ac solerti vigilantia, teterrima vecordiæ atque ignorantiæ monstra, validissima virtute prostrauit, prorsusque in abditissimum sepulcrum coniecit. Ob horum copiam certè plurimam, magnis quidem laudibus dignissima est humana Industria; sed longè maioribus propter pulcherrima Dialecticæ Philosophiæque naturalis inuenta: quas non veluti humano solum Ingenio partas, sed magis perinde atque è Cœlorum preciosissimis horreis euocatas venerari atque colere Humanum genus debeat.

Has autem multis cum voluminibus peregregiè inter ceteros complexus fuerit Aristoteles, eas pulcherrimo etiã ordine disposuit, firmissimis demonstrationibus muniuit, clarissimis Methodis aperuit, atque ante oculos hominum splendidissimè omnium explicauit; vt meritò Philosophus, & Angelus naturæ sine controuersia censeatur. Tãtum ac talem igitur nos authorem secuti, vtranque suscepimus interpretandam; Impari quidem

virtute,

virtute, at animo profectò ardenti, atque in omnem vtilitatem vestram & gratiam, optimi adolescentes, promptissimo.

Quum enim in Patauino Gymnasio, vniuersa Italia totóque terrarum orbe frequentissimo, sacræ Theologiæ interpretem agerem, locúmque (quod sine arrogantia dictum velim) non infimum multis annis tenuissem, vbi non sine Doctorum, Discipulorum, omniúmque ceterorum familiaritate & gratia (amplissimo Dei opt. munere) honestissimè profitebar. Ibidem, Adolescentes Eruditi, tam eximiam legendi prouinciam diutius per secutus essem, nisi animum meum Patria, atque adeò auspicia meliora immutassent. Vtpotè qui Venetias & mihi Patriam,& totius orbis terrarum vrbem facile Illustrissimam honestissimè accitus redirem: quíque in Clarissimi Sebastiani Foscareni,viri nunquam satis laudati locum suffectus fuerim; Qui quantus senator, quantus bonarum artium Alumnus & ingeniorũ altor extiterit,eximia illius gloriæ monumenta palã omnibus attestãtur.

Ceterum Thomas Contarenus, Marcus Molinus, Antonius Priolus, Antonius Mocenicus, aliorúmque duorum qui mortali quidem vita functi, nunc æternam supra sidera viuunt, Laurentij nempè Iustiniani, & Alexandri Contareni, Diui

Marci

Marci Procuratorum de Citra, vnanimis constánsque in me accersendo deliberatio, ita decreuerunt, atque hanc in legendi officio cathedram mihi constituerunt. Quo quidem accepto beneficio, si vel longè difficiliora mihi subeunda fortè recusassem, Inhumanus profectò extitissem, qui tot honoribus ab illustribus viris cumulatissimè ornatus, in tam laudabili prælectionis munere eis libentissimè non paruissem. Mihi igitur hilari animo id munus demandatum subeundum censui, & in eo totam mentis aciem atque industriam accuratissime exercendam; in quo à teneris (quod aiunt) vnguiculis ad hæc usque tempora, adeò sine intermissione sum versatus, vt sine illo vitam mihi permolestam, nedum difficilem semper existimarim. Cui enim promptius hoc ætatis atque operis mei dicare poteram, ac debebam, quàm huic Ciuitati Illustrissimæ Ciuitatum Reginæ Castissimæ, atque huic Reipublicæ in toto terrarum orbe integerrimæ?

Nimirum equidem si antiqua percurramus monumenta, extollat suas quantum voluerit, Solon Athenas, Minos Cretam, Charondas Carthaginem, Lycurgus Lacedæmona, Hippodamus Miletum, Diocles & Philolaus Thebas, Seleucus Locrenses agros, atque Numa Pompilius

Romam

Romam ſuam(vt Socratis, Platonis, atque Phaleæ Reſpub. prætereamus) : Nos quippe ſublime hoc Imperium Celeberrimámq; Rempub. iure optimo ceteris omnibus præferemus.

Hæc enim quemadmodum præcipua Dei opt. max. prouidentia eſt erecta & conſtituta, ita ampliſsimo hominúmque Deúmque fauore aucta & munita, vt non modo quaſcunque illas antiquiores Reſpub.Sapientia opibus, armis adæquauerit; verum etiam & Romanos ipſos, qui Imperium in orbem vniuerſum propagarunt,Hæc vna Sanctionum peritia, cōſcriptorum patrum virtute, Imperij diuturnitate, magno admodum interuallo ſuperauerit. Nanque Vigeſimus tertius ſupra Milleſimum & Centeſimum jam voluitur annus, quo felici fauſtóque ſidere florentiſsima Reſpub. veſtra, à ſuperis accepit primordia,qui ſinum hūc tutiſsimum coluerunt, atque vnam hanc toto terrarum ſpacio præclariſsimam vrbem, perpetuò duraturam conſtruxerunt.

Hæc ſiquidem admirabilis ac nobiliſsima Ciuitas eſt Diuino nutu condita, ſanctiſsimis legibus firmata, grauiſsimis ac ſapientiſsimis Senatoribus inſtructa, viris omni ſcientiarum genere erudiſsimis exornata,rerum omnium cum Humanarum tum Diuinarum copia refertiſsima; vt ſedes hæc

 veſtra,

vestra, Patres optimi, Nouus quidam orbis, vel Cœlestis regio, aut saltem terrestris Paradisus, magis quàm terrena Ciuitas appellari debeat. Cui maximè Propheticum illud tribui potest. Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei. Cur itaque ego locum ac præceptoris officium (etiam à Theologicis ad Naturalia, & Rationalia transiens) recusabo in hac vrbe celebratissima, in qua natus, educatus, honestísque muneribus ad hãc vsque ætatem sum exornatus? Pro qua si vitam etiam, ne dum labores ac fortunas omnes semper exposuerim; Quanto libentius in communem vtilitatem viuens, pro eiusdem ciuibus optimis Disciplinarum generibus instituendis, omnem Diligentiam, studium atque operam nauare debeo?

Vobis igitur, Ingenui, adolescentes, quæ multo tempore nec exiguo labore atque industria comparaui, iure quodam æque ac filijs liberalissimè depromam. Interea autẽ his vacationũ diebus veluti pro arrhabone, immò ad lectiones præcedẽtium mensium instaurãdas, quibus tẽporibus Patauij profiteri debebamus, Interpretati sumus Porphyrij quinque voces, & Aristotelis Categorias, Physicarúmque auscultationum primum librum, & partem secundi. Prælegimus insuper tractatus nostros, vnum de primis & secundis inten-

tionibus

tionibus, Alterum de ſex tranſcendentibus. Cum quibus alia quædam non ingrata forſitan ad commodum veſtrum aliquando in lucem edemus. A vobis itaque hoc vnum exopto, vt animum bonas literas affectantem ac ſitientem noſtris fontibus offeratis. Polliceor enim breui quidem tempore me, Scientiarum ſuauiſsimos latices affatim vobis hauriẽdos ſubminiſtraturum. Nanque oportet, non quemadmodum monet Simonides quidã apud Ariſtotelem, Nos humana curare quum ſimus homines, aut mortalia quum ſimus mortales; ſed quoad fieri poteſt ad Immortalitatem anniti: & omnia facere vt viuamus ſecundum optimum eorum quæ in nobis ſunt; Mentem videlicet. Maximè ſiquidem hoc eſt Homo.

Quantum verò celebritatis atque excellentiæ ex ipſa ſapientiæ Induſtria conſequi veſtra ſtudioſiſsima Ingenia poterunt, haud facile dixerim. Auerroes quippe Eruditioni aptum ab Inepto, perinde atque hominem viuum à lapideo ſecernit; Ariſtoteles autem ſapientem, Deo amantiſsimum, eundémque appellat feliciſsimum. At Salomon ſublimius ſapientiæ laudes extollit dicens. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius. Infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt

 participes

participes facti ſunt amicitiæ Dei.


Quis igitur tam ſanctas opes, immunis culpæ neglexerit? Quis pro illis acquirendis non omnem operam, Ingenium, Sagacitatem, Induſtriam exercuerit? Neque enim, vt mentes veſtræ ad tam præclara ſtudia excitentur, recenſendi ſunt vobis externorum hominum præclariſsimi, vt puta pro fuſus Anaxagoras, cæcus Democritus, perluſtrator orbis Pythagoras, diſsimulator ſapientiæ Socrates, peruigil Euclides, diuinus Hippocrates, laborioſus Cleanthes, purgatiſsimus Carneades, longæui illi Chryſippus, Iſocrates cum Simonide & Sophocle, abſtractus Archimedes (Præcipua ſiquidem Philoſophiæ numina Platonem & Ariſtotelem, nemo non admiratur, nemo eſt qui primas gloriæ coronas eis non offerat. Nec proponendi vobis ſunt veluti quos æmulari valeatis, ſed potius vt quos maxima cum admiratione ſuſpiciatis). Vobis quidē domeſtica non deſunt exempla, quæ in eorum inſignibus, in corū familijs, in eorum fœtibus aſsiduè contemplari poteſtis. Quod vt vobis explanatiſsimū ſit, licet prætercam breuitatis cauſa excellentiſsimorum nomina virorum quibus olim Ciuitas veſtra ſpendidè floruit, illos tamen ſilentio non præteribo, quos eximios ætas propè noſtra tulerit, Hermolaum Barbarum, Hieronymum

mum Donatũ, Bernardum Iuſtinianum, Petrum Bẽbum, Gaſparem Contarenum, Andream Naugerium, Ioannem Baptiſtam Egnatium, Io. Bernardum Felicianum, alióſque innumeros, quos habuiſtis. Nunc verò etiam plurimi non deſunt, quorum virtutes ſi recenſere velim, hodierna lux mihi ſatis non foret. Horum (inquam) gloria accenſi, non ſecus atque Themiſtocles, qui tropheis Milciadis excitatus noctes ducebat inſomnes, & vos noctúque diúque horum æmulatione impulſi, mẽtem veſtrã, internúmque hominem, Diuina ſcientiarum ſuppellectili cumulatiſsime exornetis. Agite igitur agite generoſa atque egregia pectora, ne feliciſsimas amittatis diuitias. Huc vigilias, huc omnem curam veſtram, veſtróſque conatus dirigite. His nihil dignius, nihil precioſius in vita mortalibus contingere pòteſt. Ego quidem nullis parcam laboribus, vt hunc facile & copioſe theſaurum vobis comparem. Nec diues tantum pollicitis apud vos ero: Immò annuente Domino, quæ pro virili potuerim, longe re ipſa maiora præſtabo. Atque adeò vt è fœtu (quod aiunt) Arborem cognoſcatis antiquã. Amygdalus ſiquidem, Pyrus & Quercus (vt Plinius ait) in ſenectute fertiliſsimæ arbores ſunt: Palma verò antiquior fructus præbet ſuauiores. Dei igitur Optimi Maximi

fauor

fauor adſit, qui me nũquam deſtituit, quem etiam nunc pio corde imploratum, his quoque cœptis, in vtilitatem veſtram & commodum non defuturum confidimus.

Ceterum vobis celeberrimi atque ornatiſsimi viri, qui me hodie dicentem, attente atque humaniter ſuſtinuiſtis; ſummus omnium opifex Neſtoreos annos, & optima quæque liberaliſsime rependat. Ego ſanè vobis Ingenium, Induſtriam, Vitam denique ipſam mirum in modum debeo, ſempérque me eandem ingenuè debere profitebor.



FINIS.